



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento  
Selectæ**

**Pexenfelder, Michael**

**[S.l.], 1711**

LX. Abneris, Ducis bellici, gesta funus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

tere. Hæc domum reversa, medijs epulis, & convivantium lætitiæ cum supervenisset, maritum, qui pro more se vino liberaliùs invitârat, discriminis, quod impenderat, monere supersedit; quid enim carmen asino? distulit igitur commonitionem in lucem alteram, quando exhalatâ crapulâ, aditum haberet ad aurem, sensumque sobrium. Cohorsit ad narrationem uxoris, Nabal, stuporêque percussus tantum non in saxum obriguit; paucisque post diebus, DEO pœnas inhumanitatis & præposteræ tenacitatis reposcente, morbo sublatus est repente. Agnovit David & fructum suæ Clementiæ, & oculum Divinæ Justitiæ, tum maximè vigilantem, quando ad injurias acceptas connivent homines; Et quia Abigailis rara cum virtute conjuncta venustas, meliorem pridem virum merebatur, adjecit ad ejus nuptias animum David; in cujus ipsa manum, ubi funus eluxit maritale, convenit, inque dotem omnes præclaræ matronæ laudes attulit. Felix utique connubium, quod eximia modestia & prudentia auspicata: insignis liberalitas conciliavit: egregia animorum moderatio utrinque copulavit.

NARRATIO LX.  
 ABNERIS, DUCIS  
 BELLICI, GESTA ET  
 FUNUS.

2. Reg. cap. 2. & 3. Annis Mundi 2982. 2983.  
 Ante Christum, 1071, 1068

Homi



Hominis ambitiosi pectus duæ agitant furiaë ;  
 Invidia & Perfidia. Cùm malignè obtre-  
 ctando nihil proficit , vim adhibet , amici-  
 tiæ palliolo velatam. Saulis obitu, David consul-  
 to Dominò, ex urbe *Sicelega* ( quam ei Rex Gethæ-  
 orum Achis donaverat ) in urbem *Hebronem* ( Tribùs  
 Judæ Metropolin , trium Patriarcharum sepulchrò  
 nobilem ) migravit. Ibi Rex secundùm unctus , &  
 promulgatus est ; miserrimo tamen Reipublicæ sta-  
 tu ; nam duo capita in uno corpore : duo soles in uno  
 Cælo malè conveniunt. Post Saulem quippe vio-  
 lenta morte sublatum , mox *abner* ( filius *Neris* , pa-  
 trui Saulis ) militiæ Princeps, *isbosethum* Saulis filium,  
 per castra circumduxit ut Regem , cuius in obsequi-  
 um jurarunt undecim Israëlis Tribus , sola Iudæ tri-  
 bu, sed longè fortissima, Davidem sequente. Hinc  
 itaque *Isboethus* jure hæreditario se Regem ferre ;  
 de David, sibi Saulis successionem, divina electi-  
 on collatam, vindicare. Tenuit controversia, seu  
 be um potiùs civile , annos septem cum dimidio.  
 Initium ejus, quem diximus, *Abner* dedit, qui solo  
 Regis nomine *Isboetho* relictò, cætera ipse pro Re-  
 ge agebat.

Fortè is cum suis copijs urbe *Manaim* egressus , *Ga-  
 bonem* versus mōvebat , urbem tribùs Benjaminæ ,  
 sed *Juda* conterminam. *Ioabus* Exercitus Davidici  
 Imperator, compertò, *Abnerem* trajecisse *Jordanem*,  
 cum expedita manu obviàm procedit, vim, si ingru-  
 eret, vi prohibiturus. Utræque copiæ occurrunt  
 sibi, juxta lacum quendam , non procul *Gabaone* ;  
 sacraë paginæ *Piscinam* vocant. Ibi *Abner* pruden-  
 tiâ consilij, necessitatem periculi occupaturus ( pu-  
 taba



tabat enim, Davidis se gratiã honestiùs colligere non  
 posse, quàm militari ambitu ) captã Joabi amicitia  
 persuadet ei, ut id loci, utriusque armati confide-  
 ant. Id ubi factum, suorũ Abner ostentaturus forti-  
 tudinem militum, ne videretur aliqua timiditate  
 prensandam Davidis benevolentiam adduci ) *Surgens*  
 inquit, *pueri, & ludant coram nobis.* Ludum intelli-  
 bat gladiatorium, quo duodeni selectiorum suorũ  
 militum, singulis congressi Joabæis, ludicrum exhi-  
 berent spectaculum, magis artis militaris ostenta-  
 dæ gratiã, quàm sanguinis faciendi. Sunt, qui ex-  
 stiment, certamen illud non tam militaris glori-  
 studiõ, quàm desiderio suas, aut hostium vires ex-  
 periendi susceptum fuisse, in omen quoddam, aut  
 præjudicium fortunæ præliaris, alij opinantur, ve-  
 tationem eam decretorijs armis institutam, ut  
 paucorum seu victoriã, seu cæde, controversia be-  
 lica decideretur. Quæcunque demum mens Abne-  
 ris fuerit, acquievit ei Ioabus. Concurrentes  
 mis feroces juvenes ; apprehensis alter alterius  
 nibus, invadunt se pugionibus tam pertinaciter,  
 omnes ad unum cæsi, mutuis vulneribus concide-  
 rint. Non ludus fuit, sed prolusio acris prælij.  
 ritatæ suorum sanguine, utrinque spectantes copiosè  
 infestas inter se manus conferunt. Vincit Joabi  
 les ; Abner cum suis cæditur, & fugatur, interfec-  
 tis trecentis sexaginta ; decem tantum & novem  
 parte Davidica desideratis ; atrociùs ne pugna  
 duceretur, & virtutem accenderet desperatio, Ab-  
 ner, licet hostis, amicè & sapienter Joabum monuit,  
 cujus ipse consilio audiens, cani receptui jussit.



In ea fuga cùm *Afaël*, Ioabi frater, non minùs ma-  
 nu promptus, quàm cursu strenuus, Abnerem con-  
 cunctius insequeretur, opimi cupiditate spoliij; Ab-  
 ner, qui nolebat speratæ pacis negotium abruptum,  
 monet, alium sibi quæreret, & paris fortunæ adver-  
 sarium; ne, gravi fratris ejus Ioabi invidiâ, coge-  
 retur ipsum ferro suo immolare victimam; at ille, de-  
 capto militiæ principe, sibi gloriam ambiens non an-  
 te destitit vestigia fugientis premere, quàm Abne-  
 ris aversâ confossus hastâ, interiit. Incensis eâ pug-  
 nâ bellatorum animis, crebris deinde excursionibus  
 & velitationibus certatum est, victoria semper à Da-  
 vidicis stante; quia tamen pro Isbosetho jus regiæ  
 successionis pugnabat, & populus in legitimum  
 Principem multa veneratione ferebatur, unica tan-  
 tum ex duodenis tribu, Davidis signa amplectente,  
 longius protractum est bellum. Cui denique fi-  
 nem imposuit dissidium, quod ex intempestiva ob-  
 iurgatione inter Isbosethum & Abnerem, ortum,  
 omnium Israëlis agminum defectionem ad Davidem,  
 promovit.

Fuerat Sauli concubina, *Respha* nomine (sive libe-  
 rat eam interpretari uxorem secundariam, sive pelli-  
 cem) cujus amoribus, ut illex est pulchritudo, Ab-  
 ner captus, impudicè cum ea consuescebat, id in-  
 dignè ferente Isbosetho, ideóque severiùs Abnerem  
 redarguente. Hic verò tam impotens iræ, quàm  
 impatiens reprehensionis, vehementiùs in monito-  
 rem excandescit, cui merita sua non essent potiora,  
 quàm unius caput mulierculæ: suis ipsum regnare  
 beneficijs: suis humeris sustentari: suæ virtutis præ-  
 mium esse, sceptrum in aliena manu; simulque mi-  
 nas



nas ingerit, execratione capitis firmatas, se regnum Saulis, Davidi haud paullò meliori Domino, in manus traditurum. Nec aliter fecit, ac dixit. Nam certus, populum, militiamque à suis consilijs discessuram, mittit quamprimùm ad Davidem nuntios, qui nomine suo regnum Isbosethi, & amicijs secum fanciendæ fœdus offerant. Accipit conditionem David, qui sciebat totius Hebrææ gentis sceptrum jure sibi divino deberi. Abner, pro qua pollebat apud suos auctoritate & eloquentiâ suadet primatibus, ut juxta responsum Oraculi divini (nolebatur enim proditoris nomine suspectus esse) unum sequerentur Principem, qui universo nomini Israëlitico moderaretur: eum esse Davidem, Regem à DEO, Vindicemque populi Hebræi, inter prete Samuele, designatum. Consensu omnium habito, adjungit sibi viros viginti, quibus comitatus, per speciem deducendæ Micholis (nam eam sibi restitui David repositerat) venit ad Regem excipitur tantò majore benevolentia, quòd & desideratissimam conjugem revereret, & undecimum suum subjectionem, suâ operâ, impetratam dederet. Instruitur in signum lætitiæ, epulum regalibus Abneri, viro ætate, prudentia, rebus gestis, & pietatis erga Davidem meritis inclyto, amplissima in munera promittuntur. Ussit id Joabum, alterum incrementa, sua decrementa interpretantem; igitur partim studio vindicandæ cædis fraternæ: partim metu, ne se in ordinem redactò, Abner militiæ Davidicæ imperium obtineret, incitatus, adit Regem & pro fiducia consanguinitatis (nam ex SAVIA, Davidis sorore erat genitus) cum eo exoptulat, quæ



transfugæ, & dolos malos haud dubiè meditati, su-  
 am, regni que salutem committere, in animum in-  
 ducat: paratam esse homini simulationem: sub ami-  
 co vultu coqui consilia, brevi post in publicam per-  
 niciem eruptura; neque enim aliud habere sibi pro-  
 positum Abnerem, quàm ut spectaret ipse præsens,  
 qua se ratione David aut contra apertam vim, aut  
 contra occultas insidias munijset; quid designasset  
 animo, & quomodo illius cogitationes eludi, ac  
 bellici apparatus dissolvi, certò infirmari possent.  
 Eas criminationes ut vidit, ad animum non admitti,  
 constituit ipse, manu sua tollere, quem mallet regio  
 mandato videri interemptū. Jam Abner, reditū eò,  
 unde venerat, properabat, totas Hebrææ gentis vi-  
 res, abdicatō Isbosethō, Davidis imperio, uti con-  
 venerat, adjuncturus; cùm Ioabus nuntios mittit,  
 qui abeuntem, regis nomine revocent, tanquam per  
 oblivionem, quiddam maximè ad rem pertinens,  
 illi significare omisisset. Abner nihil eorum, quæ  
 eventura erant, suspicatus, reflectit iter. Occur-  
 rit ei ad ipsa *Hebronis* mœnia Ioabus: post amicam  
 Salutationem, à cætero comitatu seducit suū secu-  
 rum, tanquam secreti aliquid cum eo collocuturus;  
 & ut timida est in ipso facinoris articulo improbi-  
 tas, sceleris participem & adiutorem adhibet fra-  
 trem *Abisaium*; mox improvisò sicam in Abneris ni-  
 hil minùs metuentis ilia demergit, simulque vulnus  
 gravissimum animo Davidis infligit, probè intelli-  
 gentis, maximò reipublicæ detrimentò eam cædem  
 perpetratam; dolebat, malè turbari bene susceptam  
 ab Abnere regni totius conjunctionē: principem vi-  
 rum, regio Sanguini arctissimè cōnexum, prudentiæ  
 & for



& fortitudinis laude clarissimum, de quo regno suo optimè meritum, contra jus gentium crudeli nece sublatum: ejusque rei invidiam in se derivari. Timebat, ne ab alienatis Israëlitarum voluntatibus, civile bellum magnò utriusque partis damnò recrudesceret; quocirca publicè contestari, se procul à conscientia ejus criminis abesse: diris imprecationibus cum auctores necis, tum omnem eorum posteritatem execrari; convocare populum ad exequias heroï frequentandas: ipsemet cum primoribus, scilicet vestibus, habitu lugubri, largo fletu funus prosequi, eique supremis honoribus parentare. Corpus magnificè sepulchro juxta Hebronem illatum est, & à Davide, repetito planctu, epicediòque honestatum; quod stans ipse super monimentum primus deploravit, suoque exemplo cæteros ad idem faciendum provocavit, adeò graviter Abneris morte affectus, ut nullis amicorum precibus adduci potuerit, ad cibum, ante solis occasum, capiendum. Quod sanè non mediocrem ipsi gratiam apud multitudinem conciliavit; nemine amplius suspicante, Davidis voluntate Abnerem interfectum; sed pro se quisque egregiam Regis benignitatem prædicare, & eadem quoque sibi ab eo polliceri. Cæterum pœna in reos, cum sine periculo exigi non posset, tum quidem dilata est, sed minimè ablata; erit enim, cum Ioabum quoque non sicca morte, ultricia facta de numero mortalium exturbabunt. Nihil irritat acriùs Nemefin, quàm fraus cruenta, & privato scelere in communem Societatem injuriosa.